

Probatum autem assertio manifeste, quia ad essentiam libertatis sufficit indifferentia activa tribuens dominium actus. Atqui hæc perfectissime adest in libertate quoad exercitium. Ergo ratio libertatis salvatur in libertate contradictionis, nec ad essentiam illius requiritur libertas contrarietatis ad malum. Præterea liberum arbitrium, utpote quoad rem identificatum cum voluntate, ut postea probabitur per se in bonum terminatur, nec tendit in malum, nisi quatenus ut bonum apprehenditur: id quod imperfectionem importat subjecti, rem perperam cognoscentis. Ergo signum est liberum arbitrium per se non postulare potestatem eligendi malum, sed eam illi solum convenire ratione subjecti imperfecti ac defectibilis, in quo repiitur.

Libertas physica
et moralis

Ullam quoque nosse oportet libertatis divisionem, in physicam et moralem. Physica est potentia physica ad operandum et non operandum, præscindendo a quavis morali vi obligationis, præcepti, legis, etc., quo præpediri possit, ne exerceatur. Moralis vero est eadem physica libertas, quatenus nullo ejusmodi morali vinculo ligatur. Quare libertas physica adest, ubicumque datur potentia vere immunis a necessitate; moralis vero addit immunitatem a cujuscumque generis *coactione morali*, quam paulo superius meminimus.

Passim audies etiam nomina libertatis politicæ, conscientiæ, præli, etc.; verum hujusmodi species, quæ fere semper limites moralis libertatis ultra omnem modum et honestatem amplificanc, non spectant ad præsentem tractationem, sed ad moralem Philosophiam et Theologiam rejiciendæ sunt.

Et hæc quidem super notione libertatis declaranda in antecessum erant, ut expeditius et clarius demonstraretur ejus existentia, qua probata, accuratius tractabitur natura, et quidquid ad hoc præstantissimum argumentum spectat.

ARTICULUS III.

Expenduntur determinismi fundamenta

92. Si generico nomine determinismi designare, ac comprehendere velimus omnem doctrinam negantem libertatem humanis actionibus, duplex distingui poterit determinismus:

Determinismus
fatalisticus

alter fatalisticus, qui radicem necessitatis repetit ex æterno Dei actu, sive cognoscentis, sive præordinantis actiones nostras; alter naturalis, qui defectum libertatis derivat ex conditione causarum naturalium. Hujus alterius determinismi deinde duæ formæ præcipuæ possent ex præjecta opinionum recensione notari, altera determinismi mechanici vel physici, altera psychologici. Prior ille causam necessitatis in nostris actionibus revocat ad principia mechanica et nominatim ad conservationem motus et energiæ in universa natura; posterior ad peculiarem naturam et conditionem animi nostri ac voluntatis. Non est tamen mens mea istas omnes formas seorsim expendere, id enim et nimis longum foret, ac prorsus inutile, nec perspicuitati tractationis juvaret. Malo itaque prius determinismi fundamenta præcipua ex quacumque forma vel genere desumpta examinare, et convellere, ac postea iis libertatem argumentis confirmare, quæ simul omnem quamcumque formam determinismi pessudent.

et naturalis,
sive physicus
sive
psychologicus.

Antequam rem aggrediamur, præmittere oportet, determinismi fatalistici duo esse genera argumentorum, quæ subijci examini possent, altera quæ respiciunt supernaturalem Dei providentiam in prædestinatione hominum ad gloriam et collatione gratiarum; altera quæ ex divina futurorum eventuum visione ac naturali providentia desumuntur. Priora, quæ limites transcendunt omnis naturalis disciplinæ, Theologis relinquenda sunt: unum sufficiat nosse, quod quivis in eorum passim libris demonstratum reperiet, fide divina certum esse, quod dogmata prædestinationis et gratiæ ne hilum quidem offendant humanæ libertati. Posterioris generis argumenta præcipua perstringenda nobis hic sunt, quamvis plenior eorum enodatio ac declaratio ad Theodeicam, tamquam ad sedem propriam amandanda est.

93. PROPOSITIO 1.^A Inania prorsus sunt nullique ponderis argumenta, quibus hactenus innixus est determinismus, ut universalem etiam humanarum actionum necessitatem inveheret.

Assertio non aliter probanda est, quam dissolvendo adversariorum argumenta.

1.^{um} argumen-
tum
determinati-
onis, desumptum
ex energiæ
perenni
conservatione.

Argumentum 1.^{um} desumitur ex conservatione energiæ. Est enim hoc principium communiter receptum a sapientibus, summam energiæ semper eandem perseverare in hoc adspectabili mundo, quin augeri, vel minui queat. Id quod locum habet profecto non solum in actionibus corporeis, sed etiam in ipsis actibus animæ seu physicis, sive eos dixeris pure organicos vel materiales, sive etiam immateriales. Nam, etiam fatentibus ipsis Scholasticis, motus cerebrales, qui organici profecto sunt, comitari debent actus spirituales tamquam necessaria eorundem conditio (1); at motus cerebrales totam suam energiã, qua producuntur, derivant ex communi penu mundanæ activitatis per nutrimentum, atmosphæram, calorem solis. Atqui conservatio hujusmodi energiæ pugnat omnino cum libertate humanæ voluntatis. Et probatur Minor primo α), quia conservatio ista energiæ talem statum importat actualium motuum vel operationum in singulis causis mundi quolibet momento, qui necessario sequitur ex determinatis motibus vel actibus momentî præcedentis, quique necessario pariter infert determinatos motus vel actus sequentis momentî, ita ut possibles non sint in singulis momentis duo diversi actus vel motus in eadem causa pro uno eodemque momento, ut ait Dubois-Reymond. Atqui proprium liberæ potentiæ est, ut, positis omnibus prærequisitis in quovis momento, possit agere vel non agere, aut hoc vel illud agere. Ergo admissa energiæ conservatione nullus est libero arbitrio locus (2).

(1) Vide *Psycholog.* vol. 2.^{um} num. 11, pag. 70, seqq.; num. 18, pag. 100.

(2) Audiatur Dubois-Reymond (in oratione academica, *Die sieben Weltwäthsel*, id est *Septem ænigmata mundi*; apud *Revue philosophique*, février 1882, pag. 182):

«Le principe de la conservation de l'énergie, dit M. Dubois-Reymond, signifie que la force ne se produit et ne se détruit pas plus que la matière. L'état du monde entier, y compris celui d'un cerveau quelconque, est à chaque instant le résultat mécanique absolu de son état précédent et la cause mécanique absolue de son état dans l'instant suivant. On ne saurait admettre que deux événements ni deux pensées soient également possibles dans un temps donné; les molécules cérébrales ne peuvent se disposer que d'une seule manière, comme les dés ne peuvent tomber que d'une manière, dès qu'ils sont sortis du cornet. Une molécule quittant sa place ou sortant de sa route sans raison suffisante serait un aussi grand miracle que si Jupiter,

Probatur Minor secundo β), quia si datur in homine voluntas vel alia potentia libera, poterit hæc pro nutu suo sive in membris proprii corporis sive in aliis corporibus circumstantibus motus aliquos vel cohibere, vel determinare, vel aliter dirigere, et quidem ex propria ipsius determinatione ac præter ordinem et exigentiam activitatis in corporea natura residentis. Atqui hoc prorsus repugnat; siquidem nihil prædictorum obtineri potest sine novo actu motuive, ex liberæ potentiæ virtute ac determinatione proveniente, ac proinde quin quantitas motus et energiæ mundanæ incrementum accipiat. Ergo liberum arbitrium repugnat legi perennis conservationis energiæ in corporea natura.

Responsio. En argumentum, quod tam formidabile visum est multis scriptoribus, lumine tamen sane philosophiæ inspectum apparet esse infirmissimum. Multæ sunt intentæ solutiones a doctis viris. In primis non desunt, qui cum Renouvier negent inesse universalitatem prædictæ legi (1), contendantque limites et exceptionem eidem apponendam esse in hominis libertate, ac fortasse etiam in ipsis animalis passionibus (2). Hanc sententiam solide probabilem reputat eruditissimus Ernestus Naiville (3); clarissimus vero Georgius

exploditur.

sortant de sa voie elliptique, jetaient la perturbation dans le système planétaire. Dès lors, si nos déterminations volontaires sont des phénomènes qui accompagnent nécessairement, quoique d'une manière incompréhensible, les mouvements et les dispositions de notre substance cérébrale, comme le monisme se le figure, il est évident qu'il n'y a pas de libre arbitre. Pour le monisme, le monde est une machine, et, dans une machine, il n'y a pas de place pour la liberté»

(1) Nous n'admettons pas que les sciences chevauchent hors de leur domaine et se tournent indument en métaphysique. C'est ce qui arrive quand on attribue au principe de la constance de la force une universalité pour laquelle on n'a ni garantie ni induction solide. Nous nions formellement cette universalité. Renouvier, apud E. Naville, *La physique moderne*, 4.^{ème} étude, pag. 225, Paris 1890.

(2) «La constance des forces trouverait, comme le déterminisme, une limite et une exception dans la liberté, et peut-être non pas dans la liberté seulement, mais encore dans les passions animales qui, simplement occasionnées par des mouvements externes, auraient la vertu d'en produire d'autres à nouveau» Renouvier, apud Naville, *ibid.*, pag. 226.

(3) «Cette manière de penser peut être justifiée par des arguments solides. L'affirmation du maintien d'une quantité égale de mouvement

Fonsegrive fuse probat legem conservationis energiæ, si stemus experientie, quam unice se velle sequi profitentur adversarii, non esse omnino exactam, sed ex solis experientis hactenus institutis hoc unum concludi, in natura *nihil ferme* motus et energiæ perdi, *nihil ferme* produci, vel augeri. Unde stando experientie nullum esse jus determinatis negandi libertatem (1). Similia docet Milhaud (2); similia Rev. P. Castelein, scriptorem gallum Rabier secutus (3). Denique alii viri mathematicarum scientiarum peritissimi, Cournot, Saint-Venant, Boussinesque, Delbœuf, sicut superius monuimus, conantur ex ipsis harum disciplinarum principiis ostendere, quod ex conservatione perpetua energiæ nihil timendum

actuel ou virtuel dans l'univers n'est certainement, ni un principe *a priori*, ni l'expression immédiate des faits observés. Qui a pu observer, par exemple, l'équivalent du mouvement qui constitue les rayons solaires, en dehors de leur action sur notre planète? La conservation de l'énergie est une hypothèse en voie de confirmation... «On voit que la thèse de M. Renouvier peut être défendue par une argumentation du moins spécieuse. Je tiens cette argumentation pour très solide; mais c'est une autre thèse que je veux défendre» Naville, *ibid.*

(1) Vide Fonsegrive, op. cit. 2.^{ème} partie, chap. 1, pag. 317 seqq.

(2) *De la certitude logique—Thèse pour le Doctorat es lettres.* Paris, 1893.

(3) «On peut à bon droit contester cette loi de la conservation de la force ou de l'immutabilité de l'énergie, si on la prend dans un sens *absolu* et *universel*. Prise dans ce sens, on ne saurait d'aucune façon la démontrer.—En effet, selon la remarque très juste de M. Rabier, la mécanique rationnelle n'établit cette loi que d'une manière *conditionnelle*. Elle suppose un système *fermé* d'éléments *inertes*, c'est-à-dire un système composé d'éléments incapables de créer du mouvement et où ne s'introduirait du dehors aucune action nouvelle. Dans un pareil système, la même quantité de force subsiste, quelles que soient les positions relatives que prennent les éléments. Mais la mécanique se mouvant tout entière dans l'abstraction et dans l'ordre des principes purs n'apprend rien sur les applications réelles de tels problèmes. Le monde réel est-il un système fermé, les végétaux sont-ils des moteurs inertes? Voilà ce que la mécanique rationnelle n'enseigne pas.—Quant à la physique, à la chimie et à la physiologie, elle vérifie cette loi dans l'ordre réel, mais non d'une manière *universelle*. Elle la vérifie dans le règne minéral et pour un grand nombre d'actions qui appartiennent aux êtres vivants, mais non pour toutes. Il n'y a pas un savant sérieux qui

sit libertati. Quare etiamsi soli stemus auctoritati scriptorum, nemo tenetur ad hæerere opinioni Dubois-Reymond (cujus ceteroquin *nulla prorsus est* in his, quæ materialium phenomenorum limites transcendunt, auctoritas), cum docet conciliationem *mechanismi* naturæ cum libertate unum esse ex septem ænigmatibus humanæ intelligentiæ inextricabilibus (1). Ego vero puto nullum esse hic extricandum ænigma, sed de re agi simplicissima secundum nostra principia. Ita que hæc mihi videtur

Aptior responsio. Ad objectum argumentum equidem *permitto*, vel *conc.* Major., *neg.* Minor. Nempe *permitto* veram esse legem conservationis energiæ, dummodo non in ea includantur actus et energiæ vitales, ex anima potissimum hominis profluentes, cujus spiritualitatem nunc postulo, mox invicte, Deo favente, probabo (2); nam energiæ vitales spirituales non possunt ullatenus computari, nec in summam coire cum materiali energia naturæ corporeæ. *Nego* tamen ex veritate Majoris quidpiam recte vereque concludi contra libertatis existentiam. Ad probationem primam 2), *nego* prorsus legem conservationis energiæ id postulare, ut in singulis momentis pro unaquaque causa una duntaxat sit possibilis actio. Causæ quidem naturales necessariæ sunt in operando et leges earum constantes, non tamen omnino absolute, sed suppositis quibusdam conditionibus. Nempe causæ naturales corporei mundi, *positis prærequisitis* omnibus in quovis momento ita agunt, ut nec aliud nec aliter agere possint; sed tamen quod hujusmodi prærequisita in quovis determinato momento adsint, *non est absolute necessarium*, sed pendet ex concursu plurium causarum. Sic ignis profecto comburit necessario, sed *solum in hypothese* quod apponatur aptum

affirmera qu'il a complètement vérifié cette loi pour tout le travail d'organisation accompli par une plante ou une simple cellule. Il ne sait donc pas si la somme des mouvements entrants est rigoureusement égale à la somme des mouvements sortants. Or, cette certitude même ne suffirait pas.» P. A. Castelein. *Psychologie*, pag. 34, 35, ubi de principio vitali. Namur, 1890.

(1) Vide Dubois-Reymond in citata oratione academica, apud *Revue philosophique*, fevrier 1882, pag. 183.

(2) *Cfr. Cosmolog.* num. 336, pag. 1131 seqq.

combustibile convenienti loco et distantia. Ergo ex conservatione mundanæ energiæ secundum legum naturalium constantiam et necessitatem hoc unum logice concludere potest Dubois-Reymond, in singulis momentis eam actionem *de facto* securam esse, quam complexus principiorum, conditionum vel adjunctorum hic et nunc præsentium determinabit; non autem poterit concludere talem actionem *necessario* et ineluctabiliter securam esse, donec constant duo; primum, omnia illa principia quomodolibet ad ejusmodi actionem concurrentia, necessario, nullum vero libere, operari; secundum, occursum illorum principiorum, conditionum vel adjunctorum hic et nunc non esse contingentem, sed absolute inevitabilem, ita ut nullum illorum deesse possit in tali temporis momento. Exemplo rem illustremus: ut tormentum bellicum explodat momento A in quodam determinato loco, requiritur, ut ad eum locum adductum illud sit, ut pulvere nitrato cæterisque prærequisitis sit munitum, ut denique adsit, qui ignem apponat, unde consequatur explosio. Eatenus explosio in momento A prorsus necessaria foret, quatenus vel essentielle ac necessarium foret tormento illi esse in eo loco prærequisitis omnibus instructum pro eo temporis momento; vel si id quidem ex ipsa natura tormenti necessarium non sit, certe causæ *omnes* aliæ *necessario* prorsus et non contingenter nec libere prærequisita illa apposuerint; si qua enim illarum contingens vel libera supponatur, poterit non sequi explosio, ac proinde si *de facto* sequatur, *non necessario* sequetur. Ergo ut argumentum Dubois-Reymondanum, ex energiæ conservatione secundum legum naturalium constantiam petitur, quidpiam probet, alterutrum istorum debet supponi: vel quod omnia illa principia ad actionem determinatam cujuslibet causæ in quovis momento quomodolibet concurrentia sint in agendo necessaria, nullum vero contingens aut liberum, si enim vel unum sit liberum, poterit non concurrere, et sic deficiente illo principio aut prærequisito, non sequetur actio; vel quod saltem occursum illorum principiorum omnium pro tali tempore ac loco necessarium sit atque inevitabile. Atqui certo certius est nihil horum duorum constare ex lege conversationis energiæ. Ergo donec adversarii hæc aliunde probent, vel nihil prorsus

conficiunt, vel solum petunt principium, supponendo nempe gratis aut necessitatem in operando aut indeclinabilem occursum principiorum ad actionem prærequisitorum. Designat ergo terri Dubois-Reymond vanis ænigmatum spectris, nullum enim est ænigma in componenda libertate cum energiæ conservatione.

Ad probationem alteram β) Minoris, *neg.* simpliciter Minorem, nimirum, quod repugnet potentiam liberam cohibere, vel determinare, vel varie dirigere motus sive proprii corporis sive aliorum corporum circumstantium. Neque vero adjecta ratio quidpiam evincit. Certum enim experientia est, *de facto*, motus spontaneos vel voluntarios, non pure reflexos, proprii corporis pendere ex nostra voluntate ita, ut illos inchoare, sistere, varieque moderari possimus: certum pariter est nos ope manuumstrarum posse simili modo pluri aliorum corporum motus inchoare, sistere, moderari, quin ulla exinde consequatur perturbatio in mundanis legibus. Si ergo hæc negari nequeunt vel ab ipsis determinismi professoribus, nisi perpetuæ cujusvis experientiæ refragentur, non video, cur stare non possint admissa libertate; libertas enim non reddit infirmo minusve potentem voluntatem.

Dicent adversarii, hæc ideo stare posse sine detrimento legis de energiæ conservatione in determinismi doctrina, quia primo, voluntas nullam novam energiam gignit ad motus prædictos determinandos dirigendosve, sed tantum applicat energiam naturæ jam existentem; et secunde, quia voluntas trahitur, et impellitur ad ejusmodi determinationem directionemve, immo vero secundum Bain et alios ipsa mere passive se habet in istis motibus, quos conscientia refert, nec proinde agit, sed mere contemplatur, quid in membris suis agatur. Ideoque plane intelligitur, si voluntas hoc pacto se habeat respectu motuum, qui spontanei aut voluntarii dicuntur, nullum incommodum sequi adversus legem conservationis energiæ. Admissa vero libertate, non posse id intelligi, quia potentia libera essentialiter activa est, quare motus prædictos gigneret, vel dirigeret ex sese agendo, et consequenter novam inducendo energiam; vel cohiberet illos, resistendo, ac proinde destruendo energiam naturæ — Verum hæc inania prorsus sunt. Nam nulla

est repugnantia in eo, quod voluntas vel potentia libera, non secus ac necessaria, possit applicare duntaxat ad motus propriorum membrorum vel aliorum corporum energiam naturæ, nullam novam gignendo, fere sicut mechanicus, qui machinæ ex diversis partibus coalescenti motorem applicat, non creat novam energiam; tum quia ad tuendam libertatem necesse non est rejicere doctrinam illam Physiologorum asserentium activitatem, motus localis in corpore animali exsecutricem, a nutritione pendere atque a physiologica substantiarum quarundam combustionem (1); tum quia nec necesse est dicere, actum voluntatis liberum, ut possit determinare, cohibere, varie dirigere motus corporeos, debere esse actum materiale vel similem illis, qui ex energia naturæ procedunt. Immo vero contrarium asserendum est, ac de facto asseritur a libertatis patronis, quia voluntas, ut invicte probatum manet adversus materialistas, immaterialis est ac spiritualis, sicut actus ejus, qui proinde, sive existat sive non existat, nihil addit, vel detrahit summæ universalis energie corporeæ, cum sit longe alterius ordinis. Nec vero majus detrimentum vel incommodum provenit eidem energie ex eo, quod causæ naturales non possint potentiam liberam trahere, vel necessario impellere ad actum suum; primo quia propterea solum quod causa naturalis non possit vincere alterius causæ resistantiam, nec perditur, nec angetur summa energie in natura corporea existentis; et secundo quia voluntas est causa et agens alterius ordinis, ac corporea agentia, ideoque resistantia illius absurde dimittenda foret secundum leges scientiæ mechanicæ. Ergo iterum illud, quod experientia cuique testatur circa motus spontaneos, omnino pendentes ex voluntatis arbitrio, non magis repugnat legi conservationis energie, admissa, quam negata libertate. Illud vero quod addebatur, voluntatem mere passive se habere in ejusmodi motibus determinandis, etc., apertissime repugnat conscientiæ testimonio, ideoque tamquam absurdum rejiciendum est. Vides ergo ex lege conservationis energie ne umbram quidem idonei argumenti desumi posse contra libertatem, nisi supposito materialismo, negante spiritualitatem animi ac voluntatis nostræ, et aures

(1) Vide *Psycholog.* vol. 1.^{um}, num. 228, pag. 956.

claudendo conscientiæ clamoribus. Nullum itaque est ænigma in concilianda libertate cum legibus naturæ. Verum ænigma, mea sententia, est in alia re, de qua ne cogitasse quidem videntur isti recentiores, multum tamen disputarunt veteres, et nos etiam superius egimus, nempe quo pacto voluntas moveat membra imperando eorum actiones, physice, an moraliter duntaxat et per quamdam sympathiam vel naturalem potentiarum ejusdem animæ consensionem. Quæ difficultas paulo ante tractata est, et æque locum habere posset etiam negata libertate.

Argumentum 2.^{um} urgetur ex principio causalitatis. Hoc enim principium, quod indubium profecto est, enuntiat nihil fieri sine causa, ac proinde quamlibet actionem vel motum ex antecedente alia actione vel motu procedere, ut vel ex ipsa cujusque inductione et experientia patet. Atqui hoc falsum est, admisso libero arbitrio; nam α) liberum arbitrium importat potentiam, que ex seipsa nullaque alia præcedente actione vel determinatione ac motivo novam actionum seriem inchoare valeat (1). Unde β) continet potentiam sese determinandi, ac proinde absolutam quamdam independentiam et velut aseitatem: γ) quodque non minus est absurdum, implicat potestatem transeundi ab indifferentia et indeterminatione ad determinationem, a potentia ad actum, et a minori atque imperfectiori ad majus et perfectius; majus enim quiddam evidenter est actus possibilitate. δ) Denique præcise ex principio causalitatis finis proprius scientiarum naturalium est prævidere futuros causarum effectus, quia nempe ex determinatis antecedentibus necessario sequuntur certi ac determinati effectus ob constantiam legum physicarum. Jam vero, admissa libertate, omnia erunt incerta; poterit enim ex causa sequi vel non sequi effectus, vel ex una et eadem causa diversi effectus consequi: quare actum erit jam de

2.^{um} argu-
mentum,
ex principio
causalitatis pe-
tendum.

(1) Ita post Spinoza, Collins, Helvetium, Priestley et Hamilton arguunt nostris diebus Kuno Fischer (*Ueber die menschliche Freiheit*), Kirchmann (*Catechismus der Philosophie*), Hoffding (*Ethik*), Massaryk (*Der Selbstmord als sociale Massenerscheinung der modern Civilisation*) et Herzen (*Analisi fisiologica del libero arbitrio*, pag. 21) atque cl. Rossignoli (*Determinismo nella sociologia positiva*), vere supinam ignorantiam aut certe venenatam prodentes malam fidem.

Physica, de Astronomia, de Physiologia cæterisque scientiis. Ergo nihil absurdius libertate cogitari potest.

generatur.

Responsio. Hæc, quæ passim leguntur in scriptis deterministarum (1), hic proponuntur, non quod valeant quidpiam, sed ut pateat cunctis adversariorum nostrorum ingenium, quos, puto, puduisset talia objicere, si antequam libertatem impugnandam suscepissent, doctrinam a libertatis assertoribus traditam, ut par est, didicissent.

In primis Major argumenti non est omnino vera. Principium causalitatis profecto enuntiat nihil fieri sine causa, seu quidquid fit causam habere: non tamen enuntiat, nisi peperam explicetur, quamlibet actionem vel motum ex antecedente alia actione motive procedere; tum quia id falsissimum esse constat in actione, qua Deus creavit mundum, illam enim nulla alia actio præcedere potuit; creatio vero mundi, quidquid obstrepet universa turba atheorum materialistarum, evolutionistarum cæterorumque id genus hominum, invicte demonstratur a catholicis scriptoribus (2). Tum quia passim actionem præcedit alia antecedens actio immo et longa series actionum, nulla tamen actio vel motus procedit proprie ab actione motive tamquam a causa, sed solum a virtute et energia agentis.

Minorem quoque argumenti *nego* tamquam falsissimum et absurdam. Ad α) respondeo in Deo verissimum esse, quod liberum arbitrium valeat ex sese inchoare seriem novam actionum ad extra, quam nulla actio realis distincta præcesserit. At in omni ente creato, ac nominatim in homine, adeo falsum est, quod determinationem liberi arbitrii nulla alia actio præcedat, ut e converso, secundum *communem omnium sententiam*, ante determinationem liberam, sicut ante omnem generatim actum voluntatis, necessario debeat præcedere actus distinctus intellectus proponentis voluntati bonum: unde ex probabiliori sententia, quam nos quoque tuiti sumus (3), repugnat metaphysice dari actum voluntatis sine

(1) Vide apud cl. Piat, *La liberté*, 1.^{ère} partie, pag. 135-127, 236, 239, 311.

(2) Vide *Cosmolog.* num. 58 seqq., pag. 178 seqq.

(3) Vide supra num. 21, pag. 11.

prævio actu cognitionis. Itemque repugnat metaphysice voluntatem etiam libere velle quidpiam absque motivo, quandoquidem nihil potest operari, nisi proposito aliquo bono, a quo alliciatur. Cum vero ante liberum actum, v. g. electionis, sæpe longa requiratur deliberatio et consilium, neque actus intellectus unquam existat sine comite actu phantasæ, et non raro etiam sine prævia externa sensatione, quemadmodum innotescit ex fuse disputatis in præcedenti *Psychologiæ* volumine; plane vides nihil falsius et invidiosa calumnia plenius objici potuisse a deterministis in Minoris probatione α). Probatio quoque β) falsam notionem libertatis generatim sumptæ continet, propriamque solius libertatis divinæ, prout jam superius docuimus. Falsum pariter est, quod dicitur in probatione γ). Liberum arbitrium importat potestatem transeundi, non ab indeterminatione vel indifferentia potentiæ pure passiva, sed ab activa: unde nullatenus implicat productionem perfectioris et majoris per minus et imperfectius, nam potentia activa voluntatis simul cum suis omnibus prærequisitis, principium proximum adæquatum et completum actus ponendi constituentibus, procul dubio non minus perfecta est, sed saltem æque perfecta atque actus ipse, qui consequitur, vel certe consequi potest. Postrema denique probatio δ) non minus absurda præcedentibus est. Non enim ex principio causalitatis sequitur possibilitas prævidendi futuros effectus, nisi supponendo idipsum quod in questionem venit, nimirum supponendo nullam esse causam liberam. Eatenus enim futuri effectus in causis prævidendi queunt, quatenus eæ necessario et non libere nec contingenter operantur. Donec ergo probes de essentia omnis causæ esse, ut necessario operetur, nihil aliud re vera facies, quam vel malam fidem vel certe ignorantiam Logices proderet. Quod autem addebat de repugnantia scientiarum cum libertate, ineptissimum est ac ridiculum. Nam libertatis assertores non docent causas naturales, circa quas versantur scientiæ, liberas esse vel in operando contingentes, nullisve præditas viribus et proprietatibus certis ac determinatis, unde profecto impossibilis redderetur scientia circa illas, utpote quæ cognitionem certam vindicat; sed omnia contraria docent, nempe necessitatem naturalium causarum et constantiam

legum physicarum (1), et libertatem solius voluntatis in quibusdam, non in omnibus actibus. Quamobrem admittunt, et colunt etiam, vel certe colere possunt, illas omnes scientias; quia quamvis voluntas quosdam effectus naturales impedire potest, sublatis videlicet vel variatis conditionibus, sine quibus causæ physicae operari nequeunt, non tamen potest ipsas vires ac proprietates illarum causarum legesve, quibus reguntur mutare: quæ sunt objectum scientiarum potius, quam præcise ipsi effectus, qui ex talibus viribus ac proprietatibus legibusque consequi debent. Immo vero doct cent circa ipsam libertatem et actus liberos dari posse scientiam, quia in ipsa voluntate et actibus liberi sunt multæ rationes ac veritates immutabiles, quæ objectum constituere scientiæ queant.

3.^{um} argumen-
tum,
ex quibusdam
materialistarum
dogmatis
depromptum.

III.^{um} Argumentum. Omnis actus psychicus vel est purus motus materialis et organicus, vel nonnisi *passiva* expressio vel symbolum, sub quo representatur per actum conscientie activitas et energia, quæ tota conclusa est in organismo. Atqui, utralibet admissa theoria, nullus est possibilis actus liber: nam liberum arbitrium essentialiter importat activitatem, ideoque actus ejus nequit esse phænomenum psychicum mere passivum. Activitas vero quævis materialis et organica semper necessario exercetur, ideoque repugnat actum illius esse liberum. Ergo fatendum est ferream necessitatem regnare in universo mundo. Major probatur α) quoad primum membrum primo ex ipsa anatomia et physiologia, quia nerveus processus duas continet, ut ajunt, *phases*: altera motus centripeti, per quem impressiones sensibilibus objectorum centrum sensitivum excitant; altera motus centrifugi, per quem excitatur centrum motivum ad communicandum membris corporeis motum localem. Ac plantum est, cognitiones atque appetitiones inter has duas phases versari, nam consequuntur excitationem ab objectis procedentem, atque antecedunt motum localem; siquidem ideo sentimus, et cognoscimus, quia objecta agunt in organa peripherica, et ideo motus spontaneus membrorum datur, quia ex prævia cognitione ac volitione imperatur.

(1) Vide *Cosmolog.* num. 101 seqq. pag. 361 seqq.; num. 104 seqq., pag. 370 seqq.

Ergo si intellectio et volitio forent aliquid re distinctum ab ipso motu centripet vel centrifug, deberent in nerveo contextu suum peculiarem locum assignatum habere, in quo exercerentur. Atqui nerveus contextus est prorsus uniformis, nec præ se fert ullam partem, functionibus illis mentalis activitatis exercendis destinatum. Ergo... Hoc est argumentum Herzen (1). Deinde, quemadmodum arguit Richet, inter mentalem activitatem et impressionem psychologiam cerebri adest relatio ac proportio; nam intensitas illius respondet hujus intensitati, itemque mentales operationes certum producent gradum caloris, et adest quoddam commercium mutuum actionum et reactionum chemicarum inter phænomena psychica et physiologica. Ergo concludere licet mentales actus tandem ad motum revocari (2). β) Probat Major quoad alterum membrum, quod continet doctrinam A. Bain et Theodori Ribot, qui actus quidem mentales negant esse materiæ motus, tamen contendunt non esse fructum activitatis nostræ, sed tantum phænomena mere passiva instar representationis cujusdam et symboli exhibentis organicam activitatem (3).

Responsio. Hæc, quæ multis jure merito videbuntur delirantis ingenii commenta, habentur a novitum amatoribus tamquam sapientissima recentis scientifici progressus pronuntiata. Ergo vero *neq*o utramque partem Majoris. Prima continet materialismi doctrinam circa intellectum, fuse in

exaustatur.

(1) Vide apud Rev. Dom. Piat, loc. cit. pag. 147-154.

(2) *Ibid.*, pag. 148, 149.

(3) Vide apud Piat, loc. cit. pag. 155 seqq. «Pour le déterminisme matérialiste, les motifs sont, dans la conscience, d'inaactifs symboles des forces profondes et seules actives qui, dans le cerveau, ont pour résultat le mouvement final: les faits de conscience ne sont alors ni contemplatifs ni automotifs; ils sont de simples *reflets*, comme la lumière d'une locomotive qui n'influe en rien sur son mouvement. C'est l'hypothèse de Maudsley, de Tyndall, de Huxley, de tous ceux qui considèrent la conscience comme un simple *épiphénomène*, au-dessous duquel les phénomènes cérébraux suivent leur cours de la même manière que si la pensée n'existait pas. La pensée n'est alors qu'un appareil enregistreur.» Fouillée, *La liberté et le déterminisme*, pag. 108, 109.

præcedenti volumine explosam (1). Radix tantorum absurdorum est in confusione phantasie vel imaginationis cum intellectu, ex quo fit, ut actus spirituales potentie rationalis permisceantur cum actibus organicis phantasie, priores illos semper necessario comitantibus. Quod quia in prædicto loco late accurateque, quantum tenuitati meae licet, pertractatum reliqui, non est hic iterum declarandum. Alterius partis etiam assertio in eodem præcedenti volumine rejecta est (2), et pugnat aperte cum conscientie testimonio. Quod vero voluntatis actus attinet, multo evidentius adhuc, quam de actibus intellectus, est, illos a nostra activitate procedere: quod nisi pro certo habendum sit, puto negandam esse fidem conscientie, atque adeo relationi cujuslibet potentie cognoscitivæ, et statuendum universalem scepticismum.

4.^{um} argumen-
tum, ex
analogia histo-
rica et
publicis tabulis
criminum
mutatum.

IV.^{um} Argumentum derivatur ex historia et publicis moribus. α) Nam historia diversorum populorum ac nationum habet magnam similitudinem sive in modo evolutionis inde a prima origine, habito recursum ad principium religionis ac timoris divini, sive etiam in civilibus perturbationibus cæterisque vicissitudinibus, sive in mutuis relationibus principum et subditorum, nam similes principum defectus in administranda re publica similibus tumultibus populi, et similia privatorum peccata similibus pœnis impositis aditum semper patefecerunt. β) Catalogi diversorum criminum (*estadísticas*) singulis annis patrorum confecti eundem ferme numerum continent, prout superius in recensendis deterministarum opinionibus, notatum est. Atqui uniformitas hæc diversorum hominum in agendo necessitatem ostendit: nam unum ex peculiaribus signis liberi arbitrii est variabilitas, quandoquidem ubicumque adest vere potestas oppositi, solet saltem in multis casibus reduci ad actum (3).

rejecit.

Respondeo in primis Majorem non esse exacte veram, quia historiae nationum magnam præ se ferunt varietatem

(1) Vide *Psycholog.* vol. 2.^{um}, num. 10, pag. 29 seqq.; num. 11, pag. 70 seqq.; num. 21, pag. 120.

(2) Vide vol. 2.^{um} *Psycholog.* num. 102, pag. 391 seqq.

(3) Vide Quetelet (*Physique sociale*), Herder (*Ide sulla filosofia della storia*), Bækle (*Storia della civiltà inglese*), Ferri et Morselli (apud cl. Rossignoli, op. cit. pag. 52, 53).

in evolutione civilis cultus cæterisque adjunctis. Atque idem dicendum de statibus vel catalogis criminum, in quibus non raro diversitas reperitur, undecumque tandem illa repetenda sit. Verum adhuc *transmissa* Majore, *negatur* Minor per partes.

Et α) primo quidem aliquis illa uniformitas in diversarum nationum evolutione ac vicissitudinibus tum forte magis urgeret, si supponenda esset libertas plenissimæ indifferentiæ ac perfecti æquilibrii inter quævis extrema, ut homo in nullis adjunctis magis propendeat, vel afficiatur ad agendum, quam ad non agendum, ad agendum hoc vel aliud quodvis. Verum jam præmonuimus liberum arbitrium, quamvis vocetur libertas indifferentiæ, non necessario et essentialiter importare hujusmodi æquilibrium, sed sufficienter salvari per immunitatem a necessitate, quatenus nempe potentia libera, sive adsit major minorve propensio in unum extremum, sive secus, non indeclinabiliter trahatur, sed possit vere resistere. Et hoc præcisè accidit in homine. Et cum omnia individua sint ejusdem speciei, nihil mirum, si quædam bona omnes apprehendant ut sibi maxime convenientia, et proinde valde appetibilia; talia sunt commoda vitæ, divitiæ, honores, amor libertatis et alia sexcenta id genus. E converso sunt alia multa, quæ omnes apprehendunt tamquam mala et vitanda, ut v. g. paupertas, ærumnæ, labor, servitus et subjectio, contemptus, etc. Ubi ergo adsunt multa bona et mala, quæ simili modo afficiunt, ac tangunt omnium animos, consequens est, ut, multi, immo major pars hominum, eodem modo operentur, tametsi supponatur in illis potestas aliter operandi. Eo vel magis, quod quædam illorum bonæ a plerisque apprehendi possint tamquam pars felicitatis, ad quam omnes tendimus, quin detur circa illam libertas contrarietatis, quemadmodum probabitur inferius. Ergo quædam uniformitas operandi in hominibus non excludit liberum arbitrium. Immo vero sunt quædam propensiones in humana natura, quæ inducunt semper, aut fere semper, eandem operationem in omnibus, ut cernitur v. g. in amore parentum erga filios, quæ proinde fundant quandam certitudinem moralem de eventu, quamvis non tollant potentiam absolute *physicam* oppositi, ac proinde exceptio non

constitueret verum miraculum. Habes ergo explicatum, cur similes agendi modi principum erga subditos, et subditorum erga principes in majori parte societatis sortiri queant eodem effectus. Cæterum cum non omnes prorsus subditi eodem modo se gerant in iisdem adjunctis, cum v. g. multitudo tumultuatur, satis apparet eorum libertas. Quod ordo moralis et publica administratio in exordiis diversarum nationum habuerit in religione maximum subsidium, facili intelligitur ex deposito primæve traditionis, ad omnes populos transmissæ ac sacratius servatæ, quamvis cum multorum errorum admixtione, in illa prima et quasi infantili ætate societatum. Denique quod generalia evolutionis elementa in civili populorum cultu similitudinem aliquam præ se ferre potuerint, explicatur primum ex eadem traditione, deinde ex aliorum populorum exemplo, et aliis omissis, ex identitate naturæ specificæ, unde fit, ut eadem vel simillima conducant ad bonum commune omnium, eaque apprehendi plus minus, et amari, quærique ab omnibus possint. Ex historia ergo diversorum populorum nihil obijci potest, quod determinismum probet, quem potius invicto argumento profligat historia, si quis consideret, quanta sit uniformitas agendi in ordine physico naturalium causarum, quanta vero sæpe difformitas in humano genere etiam in simillimis adjunctis.

β) Catalogi criminum minus adhuc probant intentum, etiamsi daremus eundem ferme numerum in illis exhiberi. Primo quia, ut emittam nunc, ipsas supputationes hoc pacto factas nullum præbere idoneum argumentum certum, quia proportio criminum valde imperfecta est ac vacillans (1); uniformitas istorum catalogorum est pure materialis et externa, exprimens videlicet solum numerum criminum; nunquam enim accidit, ut illa commissa fuerint in iisdem locis, temporibus cæterisque adjunctis. Unde ex illa sola uniformitate materiali non probatur, quod homines in iisdem adjunctis agant eodem modo, quod prorsus requiretetur ad evetendam libertatem. Præterea catalogi isti tantum referunt tot

(1) Vide *Stimmen aus Maria-Laach*, anno 1892, I. pag. 348 seqq.; et *Cutberlet, Die Willensfreiheit und ihre Gegner*, pag. 40-102. Fulde 1893.

homines *de facto* idem crimen admisisse. Atqui hoc non sufficit ad stabilendum determinismum, quia eadem illa crimina in iisdem prorsus adjunctis committi poterunt etiam ab hominibus liberis, quippe qui catenus liberi sunt, quatenus potuerint in illis adjunctis ita de facto agere, quamvis potuerint etiam aliter agere; et multa forte acciderunt, ut assolet, post diuturnam luctam adversus passiones aliaque incitamenta, ideoque cum longo exercitio libertatis. Quare ut ex criminibus illis in huiusmodi catalogis relatis quidpiam concluderetur in patrocinium determinismi, deberet probari ea commissa fuisse *necessario* seu absque potestate aliter agendi. Atqui hoc nunquam probabitur ex solis catalogis. Ergo reliquant deterministæ catalogos istos, et promant idoneum aliquod argumentum (1).

V.^{um} argumentum adducitur ex variis iudiciis psychologicis. α) Et primo quidem ex naturalibus propensionibus, passionibus, temperamento, habitu, educatione, etc., quæ hominem videntur ad determinatos actus pertrahere; unde etiam ex hisce adjunctis probabilis conjectura prænoscere possumus, quid quisque acturus sit in varia occasione constitutus. Quod si individuos homines penitus perspectos haberemus, fortasse liceret quoque eorum futuras actiones non probabiliter solum, sed certo etiam prævidere. β) Unde dici potest, animum nostrum esse instar campi, ubi luctantur diversi appetitus vel desideria, in quo conflictu semper vincit fortius, obtinendo consensum voluntatis; et sic apparet electionem hujus potentiæ tandem esse necessariam et ineluctabilem sequelam vel effectum conflictus diversarum

5.^{um} argum-
tum
derivatum ex
passionibus
varisque
animi
propensionibus.

in quibus
major et fortior
vis minorem
vincit.

(1) Cfr. cl. *Fonsegrive*, op. cit. 2.^{ème} partie, lib. 1; *Rosignoli*, loc. cit. Ipsemet *Wundt* fatetur argumento isto adversariorum nihil probari adversus libertatem. «Il résulte, inquit, des expériences de la statistique morale seulement une conséquence toute naturelle: dans une situation déterminée d' une grande société d' hommes, en moyenne les motifs extérieurs, ainsi que les déterminations intérieures du caractère, continuent à agir avec une grande constance. C'est pourquoi, l' individu isolé est aussi peu soumis à une fatalité, que dans une population, dont la durée moyenne de la vie mesure 30 ans, tout homme, ayant 30 ans, et obligé de mourir.» *Wundt, Eléments de psychologie-physiologique...* trad. par le Dr. *Elie Rouvier*, tom. 2. 5.^{ème} section, chap. 20, pag. 451. Paris, 1896.

itemque ex
necessitate
amplectendi
majus bonum,

cupiditatum. γ) Resque patescit ex doctrina Leibnitzii. Nam actus voluntatis, sicut quævis alia res, suam rationem sufficientem habeat, necesse est. Atqui ratio sufficiens actus voluntatis non potest esse nisi majus aliquod bonum, vel bonum pro quo motiva potiora vel fortiora militant. Ergo actus voluntatis determinatur ineluctabiliter a majori bono potiorive motivo. Probatur Minor, quia duæ hypotheses fieri possunt: vel quod bona sint æqualia, æqualibusve motivis fulciantur, vel quod sint inæqualia. Æqualia impossibile est, ut sint, sed in omni conflictu bonorum vel motivorum, si bene res perpenditur, semper adest diversitas aliqua, ac tandem, omnibus inspectis, alterum alteri præponderat. Quod si æqualia per impossibile supponantur, non esset ratio sufficiens, cur unum alteri præferretur, et sic voluntas nostra (quod est exemplum parisiensi Doctori Joanni Buridano attributum) se haberet instar asini, qui quantumvis famelicus, inter duos saccos æquales hordei constitutus, neutrum attingeret. Si vero bona sint inæqualia, planum videtur, quod nulla posit esse ratio eligendi minus, quia tandem ratio actus cujuslibet voluntatis est bonum; bonum autem majus habet totam vim boni minoris, et adhuc amplius; immo vero bonum minus præ pejori est quoddam malum. Idemque probatur ex deliberatione, quæ ideo præmitti solet electioni voluntatis, ut ex comparatione mediorum ac motivorum unum cæteris præcellentius detegatur. δ) Denum confirmatur determinismi doctrina ex eo, quod omnia, quæ ad actum voluntatis concurrunt determinata sunt natura ipsa. Sane ante actum volitionis requiritur propositio boni facta per potentiam cognoscitivam; at omnis potentia cognoscitiva, sive intellectiva sive sensitiva, non libera, sed necessaria est in objecto cognoscendo et voluntati proponendo. Actus vero ipse voluntatis, quamvis in diversis adjunctis diversus esse queat, in singulis tamen momentis non potest esse alius præter illum, qui de facto est; quandoquidem actus voluntatis necessario tendit in bonum, bonum autem est illud, quod ut conveniens apprehenditur hic et nunc naturæ pro dispositionibus et adjunctis illius. Atqui in quovis momento natura animæ est hæc determinate et non alia, et similiter dispositiones atque adjuncta: ex quibus sequitur, quod etiam

et ex determina-
tione principio-
rum omnium,
quæ in volun-
tatis actum
influant,

bonum, quod velit, debeat esse hoc bonum determinatum, et non aliud. Cum ergo in quovis momento omnia, quæ ad actum concurrunt, necessario determinata sint, ipse quoque actus ex iisdem determinatus remanet, nec potest liber aut indifferens esse.

Respondetur per partes. Argumentum α) probat quidem saltem sæpe voluntatem nostram non esse omnino indifferentem subjective seu æquilibrem, sed majori propensione ferri ad alterum ex extremis electioni propositis; nullatenus vero probat *semper et in omni* actione adesse necessitatem antecedentem unum præ alio eligendi vel agendi, quod tamen probandum foret, ut stet determinismus. Nam nec thesis deterministarum est voluntatem nostram in *nullis* duntaxat actibus, sed in *omnibus*, necessariam esse; nec assertores libertatis contendunt, ut postea explicabitur, voluntatem *semper et in omnibus* actibus libere se ipsam determinare. Jam vero 1.^o sunt plures actiones voluntatis nostræ, ad quas adjuncta illa passionum, temperamenti, etc., peculiari aliquo influxu concurrere non potuerunt; vel quia æque possunt, et solent elici etiam in magna illorum adjunctorum varietate, vel quia interdum sunt his contrariæ. 2.^o Non sufficit ad determinismum stabiliendum dicere temperamentum, passionem, etc., valde inclinare voluntatem ad actum, sed oportet etiam probare, quod eripiant voluntati potestatem oppositi, quod nos negamus, *generatim* loquendo, donec probetur; onus autem probandi asserentibus incumbit. Eo vel magis, quod ipsa experientia ex conscientie testimonio probat, non raro etiam validissimas istarum causarum superari, et frangi contraria vi voluntatis, firmissime proposito suo adhaerentis. 3.^o Verum ad abundantiam, ut magis pateat vanitas contrariæ doctrinæ, noto in primis actus, ad quos passiones et aliæ causæ objectivæ vehementissime inclinant, lege ipsa naturali prohiberi. Ergo quoniam præceptum naturale non potest esse de re prorsus impossibili, debet esse in homine, generatim loquendo, aliqua potentia, sive proxima sive remota, resistendi. 4.^o Deinde licet passiones, etc., interdum magnam voluntati vim faciant, ut cuique ex propriæ conscientie testimonio innotescit, immo et possint *aliquando* (non sæpe, sed rarissime) penitus judicium perturbare, ac voluntati potesta-

dissolvitur.

resistendi auferre, vel ligare (1); alias tamen sæpissime causæ prædictæ non tantam exercent vim, quæ non possit majori minorive negotio vinci a voluntate. Sunt enim multi gradus in illis, et nominatim vis temperamenti in multis hominibus non adeo est vehemens, et habitus etiam initio non sunt valde potentes, sicut nec passionēs: unde qui volunt quempiam incitare ad aliquod opus, solent passiones inflammare. 5.^o Non solum sentimus intime, sæpe nos non adeo vehementer urgeri ad agendum a prædictis causis, sed præterea etiam quando illæ tumultuosius impellunt, vix non potest saltem tantisper teneri impetus, differendo actionem vel ratione loci, in quo quis versatur, vel ob reverentiam circumstantium personarum, vel ad aures præbendas alteri illum alloquenti, vel ob alias id genus causas interdum sat leves. Atqui hæc est indoles virium necessario agentium, ut actio illarum ne momento quidem retineri possit, vel ad aliud tempus differri. 6.^o Certum est vim temperamenti corrigi posse, ac temperari, habitus etiam firmissime radicos debilitari, immo et penitus deleri contrariis habitibus, passionum denique, velut belluarum, ferociam domari, aut certe mansuescere consiliis, reflexione, bonis habitibus aliisque moralibus præsiidiis, ut jam remissius aggrediantur. Ergo hoc ipsum ostendit adesse in nobis potentiam aliquam, quæ non semper et in omnibus actibus necessario operetur. 7.^o Certum pariter est vim totam passionum, habituum, temperamenti, tandem excitari, et quasi sopitam expergefieri cognitione, potissimum sensuum et imaginationis, quæ objectum delectabile proponens, periculosissima in appetitu sensitivo inflammat incendia. Atqui, saltem post semel aut iterum in se vel in aliis tantæ miseræ factam experientiam, potest certissime vigilare ratio, et voluntas imperare, ut præcendantur occasiones locorum vel temporum, claudantur, vel alio avertantur sensus, imaginationi pabula removeantur, et animi attentio ad alia objecta distrahatur. Ergo etiamsi passionum et reliquarum causarum impetus directe et immediate foret viribus voluntatis insuperabilis, potest, saltem plerumque, vinci mediate et indirecte, ac proinde non necessario voluntas

(1) Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 10. art. 3.

pertrahetur ad actum. Sicut ille qui posset ictum tormenti bellici effugere, corpus suum paulisper avertendo, profecto non diceretur necessario atque ineluctabiliter, sed voluntarie interfectus, si ideo confossus fuisset, quia noluit cedere loco. Atque hæc, quæ constat omnia ex frequentissima cujusque experientia et conscientiæ testimonio, valeant, re secundum vires naturales considerata. Cæterum norunt catholici, quod voluntas suis viribus non potest, posse per auxilium divinæ gratiæ, quæ nunquam deerit rite petentibus victoriam de passionibus cæterisque hostibus, et media adhibentibus, quæ et vera religio et ipsa dicat ratio. Quæ cum ita sint, istud quoque deterministarum argumentum, apparet omni cassum esse robore nervoque.

Non magis urget probatio β) quæ soluta manebit simpliciter negatione assertionis, donec probetur ab adversariis. Nam ex præcedenti responsione constat nec ante omnem quemcumque actum voluntatis præcedere luctam cupiditatum, nec semper prævalere vehementioris passionis impetum, nec electionem voluntatis vere dici posse necessariam sequelam aut resultantiam conflictus diversorum ejusmodi motuum.

Quod vero attinet probationem γ) Leibnitziano optimismo innixam, quid respondendum sit, abunde constat ex superius disputatis, ubi probatum reliquimus posse voluntatem, saltem physice, inter æqualia utrumvis, inter inæqualia minus bonum eligere (1). Itaque *conceditur*, quod voluntas egeat ratione sufficienti ad agendum; quod vero nequeat ratio sufficiens actus voluntatis esse minus bonum vel utrumlibet inter æqualia *negatur*, donec probetur a Leibnitzianis. Nam cum voluntas sit virtus appetitiva boni in genere, quodcumque objectum sibi proponatur ut hic et nunc conveniens, ideoque, qua tale, appetitione dignum, potest profecto illud appetere, sive sit æque sive magis minusve conveniens aliis. Præterea aliud est, quod bonum, sive majus sive minus, sit ratio sufficiens, et aliud quod sit ratio indeclinabiliter determinans actum voluntatis: hi duo conceptus distinctissimi sunt. Ratio sufficiens de se non importat nisi rationem, quæ *potest*

Excluditur
Leibnitzianus
optimismus.

(1) Vide supra num. 58-61, pag. 144 seqq.

obtineri actum vel consensum; ratio vero determinans est ratio, quæ non solum *potest* obtinere consensum, sed quæ *non potest* non illud obtinere, nec patitur dissensum. Ergo etiam dato, quod solum majus bonum foret ratio sufficiens actus voluntatis, perperam inde inferretur, illud necessario voluntatem determinare, ac proinde voluntatem non posse liberam esse saltem quoad exercitium. Et ratio est, quia capacitas voluntatis non expletur nisi bono undequaque perfecto; bona vero creata, inter quæ datur optio, sive magna sive parva, omnia sunt, atque adeo apprehendi possunt, mixta malo et imperfectione defectuque. Ergo sicut qua parte sunt bona, si rite proponantur, habent rationem sufficientem, cur appetantur, licet sint aliis minorâ; ita qua parte sunt imperfecta, habent rationem, cur respuantur, aut certe non hic et nunc quærantur, etiamsi sint aliis potiora; nimirum donec ostendant adversarii omne bonum majus in comparatione minoris necessario determinare voluntatem ad actualem sui amorem (1).

Ut porro sententia optimismi penitus repellatur, quæro, quando adversarii objiciunt, voluntatem majori bono determinari, quodnam bonum intelligant, rationalem, quod in se ipso potius et longe excellentius est, an sensibile, quod multo magis allicit, ac tangit cor hominis. Atqui utrumque falsissimum deprehenditur experientia; nam quotiescumque peccatur, deserto Deo et bono virtutis, præfertur bonum sensibile vel aliud, quod est hic et nunc reapse malum naturæ rationalis: idque sæpe fit cum conscientie remorsu maximo claraque cognitione boni, quod deseritur. E converso cum virtus exercetur adversus tentationes et passionum vehementissima incitamenta, non raro post diuturnum et asperum prælium, triumphat bonum divinum et spirituale, quantumvis allicit plus concupiscentiam sensibile, multoque vividius præsentetur. Cæterum quod Leibnitzius docet, et alii repetunt, duo bona omnino æqualia dari non posse, si secundum absolutam possibilitatem rem judicemus, falsissimum est ex alibi dictis (2), quamvis physice difficillimum sit. In

(1) Vide supra num. 56, pag. 139 in respons. ad Object. 3.^a

(2) Vide *Ontolog.* num. 109, pag. 332.

hac tamen materia non tam spectanda est æqualitas mathematica, quam moralis, in appetibilitate sita. Et ut mihi quidem videtur, duo vasa v. g. ejusdem *mathematicæ estimabilis* mensuræ, ex eadem materia et eodem genere liquoris plena, etiamsi *physice* non essent perfecte æqualia, apparere possent ut *æqualiter appetibilia*, quin u'lla practice deprehenderetur in illis diversitas appetibilitatis. Et quamvis animal brutum inter duo ejusmodi objecta constitutum, sicut asinus Buridani, non posset unum ex illis arripere, quia bruti appetitus, ex defectu libertatis, trahitur ab objecto rite proposito, inter duo autem objecta, quæ æque appetibilia apprehenduntur, neutrum potest victoriam obtinere, ut ex se solo trahat necessario appetitum (1); credere tamen non possum, donec a Leibnitzianis demonstraretur, idem futurum fore in homine, ut nempe, propositis sibi duabus dapibus æque appetibilibus, fame periret neutram valens sumere, antequam in ea deprehenderet majorem aliquam rationem appetibilitatis; vel duobus aut pluribus sibi oblatiis nummis aureis ejusdem anni, formæ, pulchritudinis, valoris, carere omnibus illis deberet. Et ratio est, quia homo, secus atque brutum, intellectu pollet, ut consideret, quamvis inter objecta desit major eligibilitas, esse tamen sufficientem appetibilitatem in utrovis, ideoque melius et convenientius esse alterutrum appetere, immo et dissonum rationi esse utroque carere, si adsit indigentia.

At quænam, inquires, posset esse ratio sufficiens utrumvis eligendi? quod enim eligitur, alteri præfertur, atque adeo melius judicatur. — Ratio sufficiens foret, respondebo, utriuslibet bonitas et mea sitis, et illa alia, ne videlicet utroque bono caream, aut etiam ut libertatem exerceam. Nec vero ut unum eligam, necesse est, ut illud eo sensu *præferam*, ut judicem melius. — At, repones, saltem minus bonum respectu majoris quoddam malum videtur. — Sit sane; verum ut minus bonum eligam, relicto majori, necesse non est, ut movear præcise ex defectu illius bonitatis, in qua minus a majori exceditur, id enim fieri nequit, sed ex vere sufficienti, qua gaudet, appetibilitate. Atqui hoc, instabis, repugnat experientie, quæ docet deliberationem electioni præmitti;

(1) Vide Suarez, *Metaphys.* disp. 19, sect. 1, num. 9.

et præterea contra rationem est, ac tandem recidit in respon-
sionem illorum, quibus stat pro ratione voluntas.—Verum ut
omittam nunc non semper ac pro omnibus actibus præmitti
deliberationem; hæc fere adhibetur, ut res bene circumspici-
atur, diversæque utilitates, respectus, viæ ac media rem
obtinendi, etc., considerentur, ut electio et finis possessio
faciliorem, commodiorem et quacumque demum causa po-
tiores exitum sortiatur. Quidquid tamen eligamus post
deliberationem, etiamsi generatim melius sit, sentimus plane,
saltem sæpissime, nos nullatenus adigi ad illud præ alio
amplectendum. Præterea ipsa deliberatio et inventio potioris
boni multum pendet ex attentione mentis ac magis minusve
diuturna ac perfectiore consideratione; hoc vero totum penes
arbitrium voluntatis manere nemo non novit. Cæterum eli-
gere minus bonum, non puto *semper* esse contra rationem,
quia nullibi est, quod ego sciam, præceptum sectandi *semper
melius*; verum quamvis ita se res haberet, id non probaret, quod
non sit in homine *physica* potestas, atque adeo libertas, aliter
agendi, sed tantum quod non sit *moralis* potestas, de qua
nunc non agimus. Denique illis, qui æquale vel minus bon-
um eligerent, non *stat* proprie *pro ratione voluntas*, quia se-
quuntur bonum objectivum apprehensum prout tale (1).

Postrema probatio δ) ne responsionem quidem meretur.
In primis quod potentia cognoscitiva sit necessaria in ope-
rando, non infert voluntatis necessitatem, dummodo hæc
possit bonum ab illa propositum, etiam tamquam conve-
niens et hic et nunc appetitione dignum, respuere, vel non
actu appetere. Ut vero voluntas per propositionem objecti
hic et nunc convenientis atque appetibilis determinetur inde-
clinabiliter ad illud actu amandum, vel ad nullum aliud, hoc
relicto, amandum; non sufficit cognitio convenientiæ app-
etibilitatisque objecti illius, sed præterea requiritur evidenter,
quod illud apprehendatur ut summum bonum nullo admix-
tum malo, et insuper quod ipsa actualis appetitio illius ap-
prehendatur ut necessaria hic et nunc ac perfecte bona. Si
enim bonum illud non ut undequaque perfectum apprehenda-
tur, poterit quatenus imperfectum ac defectuosum retrahere

(1) Videatur tota hæc controversia plenius tractata supra nume-
ro 58-61, pag. 144 seqq.

ab amore, et si simul occurrat menti aliud bonum appe-
tibile (sæpe enim simul occurrunt plura objecta conve-
nientia et appetibilia) poterit primum respuere, atque alte-
rum amare. Et etiamsi bonum unicum occurrat, ac tam-
quam omnibus numeris absolutum cognoscatur, si tamen
actualis ejus in hoc momento appetitio non existimatur ne-
cessaria, planum pariter est, quod possit voluntas abstinere
ab actuali illius amore. Ergo ex eo solum, quod singulis
momentis natura animæ hæc *determinata* sit, et bonum ali-
quod *determinate* conveniat, ac tale apprehendatur, nihil
potest logice concludi in determinismi patrocinium, nisi tur-
pissime vocibus abutendo. Non enim perinde est animam
vel voluntatem esse in suo *esse* ac natura determinatam,
nempe hanc individuum et non aliam, et esse determinatam
ad agendum hoc vel illud. Ponamus animam vel voluntatem
esse liberam, video enim nondum contrarium probatum esse
a deterministis, et erit quidem illa determinatissima in se,
ac simul indifferens atque indeterminata ad operandum. At-
que idem dic de objecto, quod quidem potest esse in se
determinatum ac determinate convenire animæ vel voluntati,
quin propterea determinet illam ad sui appetitionem, et
quin excludat possibilitatem alterius boni in se pariter de-
terminati, quod simul apprehendatur etiam determinate con-
veniens.

VI.^{um} Argumentum intendit probare fatalisticum deter-
minismum ex divina rerum omnium præordinatione ac præ-
scientia. α) Re sane vera, Deus est creator rerum omnium
sapientissimus et providentissimus. Ergo non potuit temere
procedere, sed debuit omnia providentia sua suis viribus in-
struere, suis in locis collocare, ad fines quæque suos promo-
vere, præordinando actiones omnium. Atqui divina dispositio
et præordinatio et æterna est, et deficere frustrarive eventu
non potest. Ergo nihil potest aliter contingere in rerum
natura, quam de facto contingat. β) Deus ab æterno decrevit
dare singulis causis etiam liberis concursum suum pro
cunctis actionibus, quas illæ in quovis momento temporis eli-
cient. Atqui quod Deus decrevit, procul dubio erit, dato
autem concursu, causa secunda non potest non agere. Ergo
iterum nullus jam superesse potest humanarum actionum

6,um argumens-
tum, ex variis
divinis
attributis
factum.

libertati locus. γ) Denique certo certius est, Deum a tota aeternitate videre omnes actiones unquam futuras etiam causarum, quæ putantur liberæ. Atqui quod Deus videt, metaphysice repugnat, quod non sit, vel aliter sit. Ergo a tota aeternitate verum est, quod omnes actiones, quæ unquam erunt, non possint aliter esse; ac proinde nulla est actio libera.

rejjicitur

Responsio. Ad probationem α) omnia concedo præter ultimum consequens, quod *distinguendum* est sic. Nihil potest potentia antecedente aliter contingere, quam de facto contingat, *neg.*; potentia consequente, *conc.* Deus quidem sapientissimus ac providentissimus est, et omnia præordinavit, ac disposuit ab æterno, ita ut omnino quicquid ipse decreverit, eo pacto quo decrevit, adamussim exiturum sit, Nondum tamen conficitur, omnia necessario eventura esse necessitate, quam vocant antecedentem. Fac enim Deum liberrimum esse, ut est certissime, in operando ad extra (1), et causas liberas producere voluisse, ut potuit abs dubio, nam nec probarunt, nec unquam probabunt deterministæ repugnantiam causæ liberæ, sive increatæ, sive creatæ. Fac Deum ita omnia disposuisse, ac præordinasse, ut nollet actiones causæ liberæ præpedire, sed sineret illas, pro libitu operari: fac Deum, qui certe novit, quid singulæ causæ liberæ, omnibus ad agendum prærequisitis instructæ, in quavis hypothesi ac pro quovis momento pro sua libertate essent acturæ, eum pro sua bonitate ac suavissima sapientia ordinem providentiæ cursumque rerum mundanarum elegisse, ac decrevisse, in quo causæ omnes etiam liberæ operarentur illo modo, quo Deus operaturus esse prævidit; et habebis egregie compositam libertatem cum divina providentia et præordinatione omnium actionum etiam liberarum. Nam præordinatio illa licet in se æterna, non tamen facta est a Deo nisi ex prævisione usus, quem causa libera faciet in tempore, libertatis suæ, ac proinde quantum est de se, similem tendentiam habet, ac si in momento ipsius operationis videns Deus, quid

(1) Utrum si Deus ex necessitate operaretur, posset esse aliqua causa creata libere agens, olim disputatum est inter Scotistas et Thomistas: qua de re lege, si lubet, Eximium Doctorem fuisse disputantem, *Metaphys.* disp. 19, sect. 3.

vellet pro sua libertate eligere causa creata, decerneret sinere illam in manu consilii sui, offerens et largiens interea illi auxilia et præsidia, quibus eget. Propterea verissime dicitur divina præordinatio et providentia non imponere causis liberis necessitatem antecedentem et absolutam, quæ nempe independens sit ab ipsa illarum determinatione, sed tantum consequentem seu suppositionis; nec tollit ab iisdem causis potentiam antecedentem, sed tantum consequentem, quia præordinatio illa jam supponit ita de facto causas illas pro tali momento se libere determinaturas esse, hoc autem supposito jam non potest aliter se res habere. Sicut supposito quod ego nunc libere volo scribere, non possum jam non scribere, quia non possunt volitio scriptio et notitio simul stare. At necessitas hujusmodi et impotentia solum consequens non obstat libertati, ut per se patet. Et hæc nunc de quæstione theologica sufficiant, quæ suo loco magis evolvi, declararique debent.

Eadem esto solutio probationis β). Concursum divinum quoniam non datur, nisi cum causa secunda operari vult, vel debet, profecto decretum æternum de dando concursu non potest stare cum negatione actus in tempore futuri. Si vero Deus decernat ab æterno concursum, præluente, ac præsupposita cognitione, qua videat causam A in tali tempore, si præsto haberet ejusmodi præsidium, se determinaturam esse ad operandum potius, quam ad non operandum, vel ad hoc faciendum potius, quam illud; et propterea decernat Deus concursum, ut causa illa habeat istud juvamen ac prærequisitum, sine quo repugnat metaphysice illam operari: plane vides decretum ejusmodi non eripere libertatem, quia solam imponit, ut modo dicebamus, necessitatem consequentem, nec eripit potentiam antecedentem oppositi. Atqui præcise hoc pacto se habere Deum ab æterno decernentem causis secundis concursum, nunc postulamus, suo loco in Theodicea probaturi.

Denique probatio γ) ex similibus principiis enodanda est. Scientia enim illa, qua Deus actiones futuras ab æterno videt, formaliter non producit eas, nec quidpiam ponit in causis earum, quo illas ad unum determinet, sed tantum contemplatur illas in seipsis a longe. Ac proinde simili modo se habet,

ac visio tua, qua procul vides aliquem ad te accedentem. Putasne illum, ex eo solum quod tu videas, venire necessario, et non libere? Profecto non, quia visio tua solum contemplatur eum, nec ullam ei necessitatem imponit; quia non ideo venit, quia tu vides, sed ideo vides, quia venit. Quamvis ergo supposito quod visio tua verax est, ille non potest non venire; sed hæc impotentia non est absoluta et antecedens, sed hypothetica duntaxat et consequens, quia supposito quod jam venit, non potest non venire. Ita ergo etiam visio divina, quamvis ea data, causæ non aliter possint agere, non tamen imponit necessitatem vel impotentiam oppositi antecedentem, sed tantum consequentem.

7.^{am} argumen-
tum, et novæ
scholæ
criminalis
placitis mutua-
tum,

Argumentum VII fieri potest ex novæ scholæ *criminalis* (*criminalista*) placitis. Nam est typus quidam proprius facinorosorum hominum, qui ex pluribus notis facile dignoscitur (1), quique, si Lombroso credere velimus, nativus est ac generatione ipsa receptus. Ac quicumque notis hisce facinorosum hominum signatus est, ut experientia ipsa et innumeræ observationes demonstrant, ineluctabili pene vi ad crimen feruntur. Ergo nulla est libertas in criminibus patrandis, et consequenter nec in aliis actionibus hominum; neque enim decet, immo absurdum videtur, ut homo ad malum determinetur, dum remanet indifferens ad bonum.

enervatur.

Respondeo neg., Major., Minor. et conseq. Consequentiam quidem, quia etiam *dato* quod nonnulli homines in quibusdam criminibus libertate carerent, tolerandum non esset, ut generatim concluderetur negatio libertatis in omni prorsus actione, sive inhonesta sive honesta, absque certis argumentis. Minor vero *negatur*, quia nec experientia nec

(1) «Il y a un type criminel, inquit cl. Piet, hanc doctrinam referens (Op. cit. 1.^{re} partie, pag. 185), et ce type se reconnaît en premier lieu à certains caractères anatomiques. Le criminel a le front petit, étroit et fuyant, les arcades des sourcils proéminentes, la mâchoire allongée, les cheveux laineux ou crépus; il manque de barbe. En outre, on remarque très souvent chez lui une longueur excessive des bras et l'ambidextrisme». Garofalo, *La criminologia*, 2.^e part., c. 1; — *Revue phil.*, Mars. 1887. Vide, si lubet, apud eundem præclarum scriptorem minutatim descriptas plures facinorosorum notas, ex operibus Lombroso aliorumque desumptas ibid. pag. 185-194.

observationes unquam deprehendent id, quod ipsa experientia demonstrat, nempe scelera passim committi libere. Adest libertas plerumque in ipso momento, quia non deest iudicium sat clarum de inhonestata facti et de officio illud vitandi, etc.; multoque magis tempore præcedenti, quia sæpe crimina præparantur diuturna meditatione, assignato die, hora et loco, contra remorsus conscientiae, contra minas legum et pœnarum, contra preces amicorum, etc., cum conscientia peccati et obligationis vitandi occasiones, atque implorandi auxilii divini. Demum adfuisse libertatem sæpissime probat confessio ac sera penitentia ipsorum delinquentium. Quod si in quibusdam facinorosus hominibus, qui usu ipso peccandi humanitatem videntur exuisse, signa hæc interdum non appareant, in aliis tamen plus minus apparent, Præter quam quod etiamsi non appareant interdum ejusmodi signa, et quamvis etiam ipsimet rei asserant, se vi passionis, habituum, temperamenti, etc., coactos deliquisse, nondum hæc certa esse indicia sunt necessitatis, ut per se patet.

Negatur denique Major. Quia Lombrosiana doctrina de homine nato delinquente jam conclamata est iudicio sapientium, et Parisini (anno 1889) et Bruxellensis (1892) congressuum anthropologicorum sententia rejecta; tum quia exiguae anatome diversitates, quas Lombroso reperit in facinorosis, non deprehenduntur in omnibus neque in solis, siquidem non raro insunt ipsis probis hominibus (1), et desiderantur

(1) «E' questo uno dei motivi che spinsero a condannare la teoria lombrosiana del delinquente-nato i Congressi di antropologia criminale di Parigi (anno 1889) e di Bruxelles (anno 1892). La condannarono anche questa teoria i due Congressi, perché, come osservava il Topinard, le piccole anomalie anatomiche, che il Lombroso trova nei delinquenti, abbondano anche negli onesti, come la prominenza delle arcate sopracciliari che è di regola nell'Alvernia (*Actes du deuxième Congrès d'anthropologie criminelle*, p. 492), come l'asimmetria dei cra e dei cervenilli, che è così comune, tanto che il Lebon, avendo misurato più di mille crani di Parigi, trovò questa asimmetria nella più parte di essi; come l'orecchio ad ansa, che è di regola in coloro che sono disposti alla tubercolosi.» A. Joann. Rosignoli, op. cit. pag. 24.

«Les fronts fuyants atteignent 4 pour 100 parmi les non-criminels; la proéminence des arcades sourcilières est 8 pour 100; le manque

in criminosis (1); tum quia ne ipsi quidem viri, qui notis hisce observandis operam diligentiorum navarunt, inter se consentiunt (2); tum quia exploratum est atque compertum saepe in scelestis hominibus, cum nondum vitis calum obduserint, nullum speciale signum cerni in facie, longum vero vitiorum ac corruptae vitae habitum tristissima relinquere impressa vestigia in systemate nervo et musculari; fere sicut continua exercitatio functionum ad peculiare genus vitae spectantium externam hominis speciem distincto modo conformat: unde

de barbe 15 pour 100, etc. (*Revue philos.*, Mars 1887, Garafalo). Entre ce qu' on nous donne pour l'antécédent du crime et le crime lui-même, il n'y a rien de cette liaison rigoureuse qu' on remarque entre les deux termes d'une loi. Ce que l' on peut conclure des recherches qu' on a faites en criminologie, c' est que la proportion des anomalies congénitales est plus forte dans un nombre donné de criminels que dans un nombre égal de non criminels, et M. Garafalo a le mérite d' avoir vu et formulé cette conséquence. Mais il n'y a rien en cela qui puisse inquiéter un tenant du libre arbitre. » *Rev. Dom. Piat., La liberté*, 2.^{ème} partie, pag. 182.

(1) « Sur cent criminels, le docteur Virgilio n'a trouvé que 28 fronts fuyants. M. Lombroso n'a remarqué le développement de la partie inférieure du front qu' en 66, 9 cas sur 100 crânes de criminels; et la proportion donnée par M. Bordier s'en approche beaucoup (60 p. 100). Selon Lombroso, l' eurygnatisme n' atteint que 36 pour 100. Ainsi des autres traits qui constituent ce qu' on appelle le type criminel. » *Rev. Dom. Piat., La liberté*, 2.^{ème} partie, pag. 182.

(2) « Fu condannata pure la teoria del Lombroso dai due Congressi, perché non vi è troppo accordo nel determinare i caratteri organici del delinquente, fra il Lombroso e i suoi discepoli, e non sono tampoco uguali questi caratteri nei delinquenti, se essi appartengono a diverse regioni: secondo il Ferri per es., il braccio dell' omicida è più lungo della media in Piemonte, è più brevi in Lombardia; dice che il delinquente è grande e pesante, Thomson e Virgilio dicono il contrario. Lombroso dice che le mani degli homicidi e dei violenti sono più corte, il Dottor Marro nel suo lavoro sui caratteri dei delinquenti dice che sono più lunghe. Lombroso trova nei delinquenti la fronte che fugge indietro e molto sviluppati i seni frontali, il Dottor Marro (Marro *I caratteri dei delinquenti*, studio antropologico premiato al congresso internazionale di antropologia criminale, p. 137), trova più frequenti questi caratteri negli uomini onesti che nei malfattori. » *Rossignoli*, op. cit. pag. 24, 25. Verum legendus est de his Francotte, qui fuse et erudite persequitur haec in suo opere, *L' anthropologie criminelle*, 1.^{ère} partie. chap. 5, ubi ostendit, nihil posse ab adversariis solide statui ex innumeris hactenus factis observationibus.

existunt illi typi, quos passim dicimus, et statim agnoscimus ecclesiasticus nempe, militaris, etc. (1). Quocirca praedictus Bruxellensis congressus intulit, Lombrosianum typum delinquentis nati non esse realem, sed commentitium (2): ideoque nihil mirum, si non exteri solum viri docti, sed multi etiam vel ipsius italicae scholae *criminalis* asseclae, ut Ferri, Garafalo, Colajanni, Luchini, Puglia, Magri, vel nolint agnoscere, vel certe nonnisi haesitando, hujusmodi typum ceu varietatem quamdam anthropologicam (3). Lacassagne vero invictis argumentis illum profligavit: quare multi jam ex asseclis novae scholae *criminalis* statuunt sceleratum non nasci, sed actione medii ambientis vel adjunctorum circumstantium effici, et formari. Quamquam neque hi etiam ullum possunt afferre argumentum, quo miseros hujusmodi homines libertate destitui, cum criminose agunt, ostendant.

VIII.^o Indicantur quaedam alia argumenta ex ejusdem scholae decretis petita. Caetera omitto, quae in Lombrosiana schola *criminali* absurde statuuntur, a) *criminosos habitus*

Innumerant
alia argumenta
scholae
criminalis,

(1) « Fu messa anche da parte la dottrina del Lombroso, perchè le passioni non domate e gli abiti radicati modificano tanto, sebbene a poco a poco, il sistema muscolare e il nervoso dell' assassino, del ladro, del libertino, della prostituta, che l' abito al delitto si legge loro sul volto e in tutto il contegno della persona; e lo sanno gli artisti, e lo sa anche il volgo, quando parla di faccie patibolari, di ceffi da galera. Poi l' influenza stessa prolungata del carcere, scuola di vizio per i più, crea un tipo penitenziario (e lo dimostrò il Gautier nell' opera sua *Le monde des prisons*, p. 541), come esiste un tipo monastico, imprimendo il carattere di questo tipo su tutto l' esteriore della persona. » *Rossignoli*, *ibid.* pag. 25.

(2) « Non è meraviglia per tanto, inquit laudatus Rossignoli (*ibid.* pag. 26), se il Congresso antropologico criminale di Bruxelles conchiuse senz' altro la discussione sull' argomento con queste parole: *Il tipo anatomico, designato dal Prof. Lombroso come appartenente al criminale-nato, è un prodotto ibrido composto riunendo caratteri attinti a diverse fonti. Non è adunque un tipo reale. Ammettendo tuttavia che questo tipo s'incontri, non si troverebbe che nella minorità dei criminali; dunque deve essere rigettato.* » Vide Le fort, *Le type criminel d' après les savants et les artists.* Lyon, 1892. Cfr. Francotte, loc. nup. cit., pag. 237, 238. Paris, 1891.

(3) *Rossignoli*, loc. cit. pag. 26, 27, apud quem plura de hisce videri queunt.